

(Cic. Brut. 18. 70). *Zeuxis et Polygnotus non sunt usi PLUS QUAM QUATUOR COLORIBUS.* (vel *plus quatuor coloribus*). (Liv. 21. 61). *Nix MINUS QUATUOR PEDES alta jacuit.* (Caes. B. G. 5. 55). *Gallorum copiae non LONGIUS MILLIA passuum octo aberant.* (Liv. 41. 12). *PLUS SEPTINGENTI capti sunt.* (Cic. Quinct. 12). *Quinctius tecum PLUS ANNUM vixit.* (id. Rosc. Am. 27). *PLUS TRIDUO Romae fuit.*

N. B. 1.<sup>o</sup> Quod si haec comparativa vices gerunt nominativi vel accusativi, poterunt etiam post se habere ablativum. (Sall. Cat. 56). *Catilina initio non AMPLIUS DUOBUS MILLIBUS (hominum) habuit.* (Cic. Acad. 2. 25). *In columba plures videntur colores, nec est PLUS UNO.*

N. B. 2.<sup>o</sup> Praeter suum casum admittunt comparativa tum ablativum qui significet excessum, tum positivi casum. (Curt. 5. 4). *Turres DENIS PEDIBUS quam murus ALTIORES.* (Cic. Att. 16. 4). *MIHI nemo est AMICIOR, nec JUCUNDIOR nec CARIOR Attico.*

### CAPUT V

#### DE CONSTRUCTIONE PRONOMINIS

##### ARTICULUS I. PRONOMINA PERSONALIA, DEMONSTRATIVA ET POSSESSIVA

286. [376-378]. Verba, participia, gerundia, nomina adjectiva, nonnulla etiam substantiva quae patrium casum postulant, genitivis *mei, tui, sui, nostri, vestri* gaudent; at numeralia, partitiva, comparativa et superlativa, pro *nostri vestri*, exigunt *nostrum vestrum*. (Cic. Cat. 4. 9). *Habetis ducem MEMOREM VESTRI, OBLITUM SUI.* (Caes. in Cic. Att. 9. 16). *Nihil enim malo, quam et me MEI SIMILEM esse, et ILLOS SUI.* (Cic. Q. Fr. 2. 4). *Domus UTRISQUE NOSTRUM aedificatur strenue.* (id. Sen. 10). *VESTRUM UTERVIS.* (Liv. 4. 56). *VESTRUM PRIMUS.*

N. B. 1.<sup>o</sup> Iisdem genitivis addi possunt participia vel adjectiva. (Planc. in Cic. Fam. 10. 4). *Neque si facultas TUI PRAESENTIS esset, numquam a tuis consiliis discreparem.* (Cic. Fam. 4. 4). *Nostram fidem omnes, amorem TUI ABSENTIS praesentes tui cognoscent.*

N. B. 2.<sup>o</sup> Genitivus *omnium* saepe primitivis *nostrum vestrum* jungitur. (Cic. Cat. 4. 6). *Ad illa venio, quae ad OMNIUM NOSTRUM vitam salutemque pertinent.*

N. B. 3.<sup>o</sup> *Interest* tamen et *refert*, *mea, tua, sua, nostra, vestra* sibi vindicarunt. Quibus addi possunt genitivi *unius, ipsius, solius, omnium* et alii, ut *mea unius interest; tua solius refert; nostra ipsorum interest; nostra omnium interest; vestra omnium refert*. Videtur etiam dici posse: *nostrum omnium interest; vestrum omnium refert*.

287. [381]. Substantiva quibus ambigua est significatio, activeque ac passive sumi possunt, ut *caritas, amor, memoria, oblivio, desiderium, cura, miseratio, fiducia* et caetera ejusdem

generis, si possessionem actionemve significant, possessivis adhaerescunt, ut *amor meus, desiderium meum* (quo amo ac desidero); sin autem passionem significant, genitivos *mei, tui, sui, nostri, vestri* flagitant, ut *amor mei, desiderium mei* (quo amo ac desidero). (Cic. Att. 1. 18). *Fac ut AMOREM NOSTRUM tanti aestimes, ut eo perfrui velis.* (Estima en tanto el amor que te profesamos....) (Cic. Att. 1. 3). *Aviam tuam scito DESIDERIO TUI mortuam esse.* (id. Fam. 5. 2). *AMORE TUI fratrem tuum odisse desinam.* (id. Fam. 106). *Me impulit TUI CARITAS.* (id. Q. Fr. 1. 2). *Relinque quaeso quam jucundissimam MEMORIAM TUI (1).*

N. B. 1.<sup>o</sup> Nonnumquam utrumque conjungitur. (Cic. Att. 13. 4). *Nicias TUA SUI MEMORIA delectatur.* (Le agrada á Nicias que conserves su memoria). (id. Fam. 12. 47). *Grata mihi vehementer est MEMORIA NOSTRI TUA.*

N. B. 2.<sup>o</sup> Non in omnibus tamen, quibus anceps est significatio, hoc observatur. Nam *crimen meum, vulnus meum, injuria mea* dicitur etiam mihi illata. Item *imago mea, tua, sua, nostra, vestra* non solum quae possidetur, sed etiam quae refert et repraesentat. Dicendum etiam *causa mea, tua, sua, nostra, vestra*. (Cic. Fam. 15. 18). *Te abesse MEA CAUSA, moleste fero, TUA gaudeo.*

N. B. 3.<sup>o</sup> Cum substantivis quae partem significant, ut *pars, dimidium* etc. genitivis primitivorum utemur. (Ter. Adolph. 2. 1. 24). *Tetigi ne QUIDQUAM TUI?* (Quintil. 7. 2). *Minimam PARTEM MEI habent* [380].

288. [374]. Possessiva pronomina *meus, tuus, suus, noster, vester* genitivum postulant. (Cic. Phil. 2. 43). *TUUM HOMINIS simplicis pectus vidimus.* (id. Sext. 64). *Non admiror quod MEAM legem contemnat HOMINIS inimici.* (id. Pis. 5). *Juravi rempublicam MEA UNIUS opera esse salvam.* (Cf. n. 286. N. B. 5.<sup>o</sup>). (id. Mur. 4). *Atque hujusce rei conjecturam de TUO IPSIUS studio, Servi, facillime ceperis.* (Liv. 36. 7). *Nec iis noxae futurum sit, quod vim TUAM PRAESENTIS exercitusque tui experiri noluerint?*

289. [373]. *Idem*, sequente relativo *qui* vel conjunctionibus *et, ac, atque, ut*, respondet hispanae loquutioni *el mismo que*.... (Cic. Fin. 2. 4). *Num propterea IDEM voluptas est, QUOD, ut ita dicam, indolentia?* (id. N. D. 2. 27). *Dianam ET Lunam EAMDEM esse putant.* (id. Fin. 4. 5). *Nihil commulantur animo, et IIDEM abeunt QUI venerant.*

N. B. 1.<sup>o</sup> Adjectiva et adverbia similitudinis ac dissimilitudinis, itemque relativa *talis, tot*, pro correlativis easdem conjunctiones post se nonnumquam admittunt. (Ter. Phorm. prol. 36). *Date operam ne SIMILI utamur fortuna, ATQUE usi sumus.* (Cic. Att. 14. 10). *Longe ALIA nobis, AC tu rescripseras, nuntiantur.* (Nep. Milt. 7). *Cum TOTIDEM navibus, ATQUE erat profectus, rediit.* (Cf. n. 399. α 1.<sup>o</sup>).

(1) Brevius dicunt alii pronomina *primitiva* indicare *objectum*, *possessiva* vero *subjectum*.

N. B. 2.<sup>o</sup> Pronomen *idem* more graeco cum dativo apud poetas reperitur. (Hor. ad Pis. 467). *Inuitum qui seruat, IDEM facit OCCIDENTI.*

N. B. 3.<sup>o</sup> Video multos ita loqui: *Peripatetici quondam IDEM fuerunt CUM Academicis.* Velim potius ita cum Cicerone dicere: *Qui (Peripatetici) quondam IDEM erant QUI Academici.*

N. B. 4.<sup>o</sup> *Idem et is* usurpamus, ut uni rei plures notas similes vel dissimiles adjungamus. (Cic. Off. 3. 7). *Nihil utile, quod non IDEM honestum, nihil honestum, quod non IDEM utile sit.* (... que al mismo tiempo no sea honesto...). (id. ib. 1. 6). *Quidam nimis magnum studium in res obscuras conferunt EASDEMQUE non necessarias.* (... y por otra parte no necesarias). (id. Tusc. 5. 20). *Atqui de hoc homine sic scriptum accepimus, summam fuisse ejus in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium, EUMDEM tamen maleficum natura et injustum.* (Liv. 4. 57). *Uno atque EO facili praelio caesi ad Antium hostes.*

N. B. 5.<sup>o</sup> *Ipse*, si jungitur pronomini personali, quod idem sit subjectum et complementum, cum alterutro consentit. (Cic. Amic. 3). *ME IPSE consolor.* (id. Fam. 1. 9). *ULTUS est IPSE SESE.* (id. ib.). *Collegi IPSE ME.* (id. Fam. 11. 14). *Te IPSUM CUSTODIAS.* (id. Fam. 3. 7). *Pompejum omnibus, Lentulum MIHI IPSI antepono.*

N. B. 6.<sup>o</sup> *Quis* geminatur in oratione, quando tum subjectum tum complementum indefinitum est; quod si de duobus tantum agatur, repetitur pronomen *uter*. (Cic. Ros. com. 7). *Considera QUIS QUEM fraudasse dicatur.* (Considera quién se dice que engañó y quién que fué engañado). (Cic. Mil. 9). *Reliquum est ut nihil jam aliud quaerere debeatis, nisi UTER UTRI insidias fecerit.*

N. B. 7.<sup>o</sup> *Unus* additur nonnullis pronomibus ad augendam vim. Sic *nemo unus; nulla res una; quisquam unus; quislibet, quivis unus; quis unus?*

N. B. 8.<sup>o</sup> *Quisque* jungitur α) relativo et quotus. (Cic. Tusc. 1. 48). *QUAM QUIQUE norit artem, in hac se exerceat.* (id. Div. 1. 4). *Praedici posset QUID CUIQUE eventurum, et quo QUIQUE fato natus esset.* (id. Att. 1. 43). *QUOTUS QUIQUE est qui possit.* (Cuán pocos hay que puedan. β) Superlativis. (Cic. Tusc. 3. 28). *Ex caeteris philosophis nonne OPTIMUS et GRAVISSIMUS QUIQUE confitetur multa se ignorare? γ) Ordinalibus.* (Cic. Verr. 2. 2. 56). *QUINTO QUOQUE anno Sicilia tota censetur.* (Cada cinco años se hace el censo en toda Sicilia) [408]. δ) Pronomini *suus* et *se*, et quidem saepe in genitivo. (Cic. Off. 1. 31). *Id enim maxime quemque decet, quod est CUJUSQUE maxime SUUM.* (id. Fam. 6. 1). *SUAE QUEMQUE fortunae maxime poenitet* [374].

## ARTICULUS II. RECIPROCA *sui, sibi, se* ET *suus* [382, 383]

N. B. Tertia persona in casibus obliquis modo exprimitur reciproco *sui, sibi, se*, modo demonstrativis *is, hic, ille*, etc. Item possessio, vel pronome possessivo *suus* vel demonstrativo *ejus, eorum*. Diligenter cujusque usus cognoscendus, tum in oratione simplicis, tum in composita (4).

### § I. *Sui* ET *suus* IN SIMPLICI ET IN PRIMARIA ORATIONE

290. In simplici oratione, et si agitur de compositis, in primaria seu principi adhibetur *sui, sibi, se* et *suus, sua, suum* ad designandum nominativum seu subjectum ejusdem orationis. (Cic. Amic. 21). *Ipse SE QUIQUE diligit.* (id. Off. 1. 31). *SUUM QUIQUE noscat ingenium.* (id. Fin. 5. 20). *Bestiis HOMINES uti possunt ad SUAM utilitatem.*

(4) Pronominum doctrinam fere ad finem Syntaxeos putat rejiciendam P. Alvarus n. 372, tum quia sine aliarum partium orationis cognitione non facile percipitur, tum praecipue propter reciproci obscuritatem.

Dicemus ergo: *DEUS tuetur hominem propter clementiam SUAM; sed Deus tuetur HOMINEM propter miseriam EJUS.*

291. Interdum haec pronomina non ad nominativum, sed ad alium casum obliquum ejusdem orationis referuntur. (Cic. Sext. 68). *HANNIBALEM SUI cives e civitate ejecerunt.* (Cic. Verr. 2. 1. 22). *DEORUM simulacra ex SUIS fanis sublata in foro venerabantur.* (Cic. Har. resp. 5). *ILLUM ulciscuntur mores SUI.* (Cic. Rosc. Amer. 22). *Etiam FERAS inter SE partus et educatio conciliat.* (Caes. B. G. 5. 6). *Neque SUI colligendi HOSTIBUS facultatem relinquunt.*

N. B. 1.<sup>o</sup> Praecepto primo explicantur reciproca in orationibus, ubi verbum *sum* significat *habeo*, et in verbis infinitis, participiis et gerundiis, quae in verbum personale mutari possunt; in his enim orationibus *suus* ad subjectum refertur, quamvis hujusmodi subjectum non sit nominativus. (Cic. Fin. 5. 9). *SUA cujusque ANIMANTIS natura est; i. e. suam quisque animans habet naturam.* (id. ib.). *Dici potest scientiam SUAM cujusque ARTIS esse; i. e. dici potest suam quaeque ars habere scientiam.* (Liv. 38. 48). *Cum aliis coactis tuere peccata SUA.*

N. B. 2.<sup>o</sup> Cum plures nominativi vel casus obliqui conjunctionibus et, neque vinciuntur, tum nisi ad omnes nominativos vel casus obliquos designandos reciprocis non est locus. Dicemus igitur: *Cepi lupam et catulos EJUS (non suos); sed cepi lupam cum catulis suis, quia non intercedit conjunctio.*

N. B. 3.<sup>o</sup> Adhibetur etiam *sui* et *suus* ad significandam indefinitam personam aliquam, praesertim in oratione verbi infinitivi. (Cic. Off. 1. 39). *Habenda est ratio non SUI solum, sed etiam aliorum.* (No ha de tener cuenta el hombre solamente consigo, sino también con los demás). (Cic. Off. 1. 38). *Deforme est de SE ipsum praedicare.* (Es cosa fea el alabarse uno a sí mismo).

N. B. 4.<sup>o</sup> In orationibus verborum impersonalium, *sui* et *suus* casum obliquum indicant. (Cic. Tusc. 5. 48). *Neque eam sapientiam unquam SUI poenitet.*

### § II. *Sui* ET *suus* IN ORATIONIBUS SECUNDARIIS

292. In orationibus secundariis quae intime cum primaria conjunguntur, *sui* et *suus* utimur ad explicandum nominativum primariae orationis.

Orationes secundariae, quae intime cum primaria copulantur, sunt fere omnes infinitivi et subjunctivi, nempe:

α) Oratio verbi infinitivi. (Cic. Tusc. 1. 25). *Sentit ANIMUS SE vi SUA moveri.* (id. Arch. 8). *Homerum COLOPHONII civem esse dicunt SUUM.*

β) Interrogatio obliqua, i. e. quae ab alio verbo pendet. (Cic. de Orat. 1. 51). *Acuto homine nobis opus est, qui sagaciter pervestiget, quid SUI cives cogitent.* (Cic. Verr. 1. 7). *HORTENSIVS quaesivit ex Verre, cui SUOS familiarissimos rejici passus esset.*

γ) Oratio subjunctivi modi post particulas *ut, quo, ne, ne non*. (Ter. And. 1. 4). *Tum autem hoc timet, ne deserat SE.* (Cic. Off. 3. 14). *Ab his petivit (PYTHIVS), ut ante SUOS hortulos postridie piscarentur.* (Caes. B. C. 1. 60). *Petit (CAESAR) ab his omnibus, ut SE frumento juvent.*

δ) Secundaria oratio, quae cogitationem subjecti orationis primariae explicat, cujusmodi solent esse orationes relativi, condicionales et similes. (Caes. B. G. 7. 19). *Indignantur MILITES quod conspectum SUUM hostes ferre possent.* (Nep. Them. 8). *Domina navis quis sit aperit, multa pollicens, si se conservasset.*

ε) Orationes omnes obliquae, i. e. illae quibus auctor alterius vel propria verba exponit, praemissis verbis *dico, respondeo, etc.* (Caes. B. G. 1. 54). *ARIOVISTUS respondit; sibi mirum videri, quid in SUA Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari, aut omnino populo Romano negotii esset.*

ζ) Ablativus absolutus qui in primaria oratione inseritur. (Cic. Cat. 4. 6). *Si PATERFAMILIAS, LIBERIS SUIS a servo interfectis, supplicium de servo non quam acerbissimum sumpserit.*

N. B. In propositionibus consequutivis fere non est locus reciproci. (Cic. Lig. 2). *Ita se gessit LIGARIUS, ut ei pacem esse expeditet.*

293. In oratione secundaria ad designandum nominativum vel subjectum ejusdem orationis, reciproco, non demonstrativo utimur, quum ex verborum collocatione aut sensu patet, pronomen ad nominativum secundariae orationis referri. (Caes. B. G. 1. 56). *ARIOVISTUS respondit, POPULUM ROMANUM victis ad SUUM arbitrium imperare consuesse.* (Caes. B. G. 2. 21). *MILITES non longiori oratione cohortatus, quam uti SUAE pristinae virtutis memcriam retinerent.*

N. B. 4.º Haec constructio frequentissima est cum in primaria oratione ponitur verbum *hortandi* aut *suadendi*; sin aliud verbum reperiatur, et duae tertiae personae interponantur, SE et SUUS ad priorem, id est ad nominativum primariae orationis referri solent.

N. B. 2.º Adhibentur etiam *sui* et *suus*, ad significandum, altero nominativum orationis primariae, altero secundariae, quum inde non oritur confusio. (Cic. de Orat. 2. 67). *Rogaretque EUM SALINATOR, ut meminisset, opera SUA se Tarentum recepisse.* (Caes. B. G. 1. 36). *ARIOVISTUS respondit NEMINEM SECUM sine SUA pernicie contendisse.*

N. B. 3.º Cum *suus* ad nominativum secundarium refertur, tum, quo melius perspicuitati consulamus, possumus adhibere pronomen *ipse* ad nominativum primariae orationis significandum. (Caes. B. G. 1. 40). *Vehementer (CAESAR) EOS (centuriones) incusavit, aut cur de SUA virtute, aut de IPSIUS diligentia desperarent? De sua (centurionum) aut de ipsius (Caesaris).*

N. B. 4.º Non perpetuo ab Auctoribus haec discrimina servantur: inveniuntur enim exempla, in quibus demonstrativum pro possessivo adhibetur; pendet quippe a scriptoris arbitrio, subjectivum aut objectivum quasi colorem sententiae praebere, partesque orationis remissius strictiusve connectere. (Cic. Att. 4. 48). *C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse et SUUS competitor Domitius cum consulibus fecissent.*

N. B. 5.º *Suus*, sicut caetera possessiva, in poësi praesertim, idem valet nonnumquam ac *aptus, commodus, gratus, proprius*: v. gr. *Suo loco, suo tempore, suo anno, suo jure, i. e. apto loco, opportuno vel praefinito tempore, opportuna aetate, proprio jure.* (Cic. Arch. 1). *Earum rerum omnium fructum a me repetere prope suo jure debet.* (Cic. Brut. 94). *Et ego anno MEO consul factus essem.* (Cic. Brut. 4). *Cessit e vita suo magis quam suorum civium tempore.* (Horat. Epod. 3. 30. 3). *Ventis iturus non suis.*

N. B. 6.º *Sui* ponitur interdum pro *suus*. (Cic. Univ. 43). *Imitantes genitorem et effectorem sui.* (ibid. 6). *Ita se ipse consumptione et senio alebat sui.* Contra *suus* videtur positum pro *sui*. (Nep. Lysandr. in fine). *Ita ille imprudens suus fuit accusator.*

N. B. 7.º Saepe adhibetur pronomen *ipse* pro *sui* vel *suus*, ut clarius appareat vel vividius exprimat subjectum aut complementum propositionis principalis. (Sall. Jug. 46). *JUGURTHA legatos ad consulem mittit, qui ipsi liberisque vitam peterent.*

## CAPUT VI

### DE CONSTRUCTIONE COMMUNI

#### ARTICULUS I. INSTRUMENTUM, CAUSA, MODUS, EXCESSUS, PARS [340, 341]

294. Substantiva quae significant *instrumentum* (instrumento ó medio), *causam, modum, excessum* vel *partem* (1), ablativo efferuntur. *Instrumentum.* (Cic. Verr. 2. 5. 54). *Sex lictores eum circumstant valentissimi, caedunt acerrime VIRGIS.* (id. Off. 1. 26). *Res familiaris augetur PARSIMONIA.*—*Causa.* (Cic. Q. Fr. 2. 13). *VESTRA CULPA haec acciderunt.*—*Modus.* (Cic. Sen. 23). *Sapientissimus quisque AEQUISSIMO ANIMO moritur, stultissimus INQUISSIMO.*—*Excessus.* (Cic. Brut. 34). *P. Scipio omnes SALE FACETIISQUE superabat.* (Curt. 5. 1). *Turres DENIS PEDIBUS quam murus altiores.*—*Pars.* (Cic. Att. 2. 21). *Deformatus CORPORE, fractus ANIMO, quo se conferat nescit.* (n. 271).

N. B. 4.º *Instrumentum*, si ad personas refertur, exprimitur praepositione *per* vel *nonnibus opera, beneficio, auxilio.* (Cic. Verr. 2. 2. 3). *Statuerunt istius injurias PER vos ulcisci et persequi.* (Cic. Sen. 4). *MEA OPERA Tarentum recepisti.*

N. B. 2.º Cum verbis transitivis ablativus causae saepissime pendet ab aliquo participio: v. gr. *amore, misericordia, religione adductus, impulsus, commotus, permotus; studio, cupiditate incitatus, elatus; odio, ira incensus, ardens, inflammatus; metu, timore perterritus, etc.* Excipe quosdam ablativos, quos etiam sine participio licet usurpare, ut *rogatu, hortatu, voluntate, consilio, studio, desiderio, etc.*

N. B. 3.º *Causa* etiam praepositiones *a* vel *ab, de, ex, prae,* pro nonnumquam admittit. *Prae* fere adhibetur quum agitur de re quae impedit. (Cic. Acad. 1. 2). *Mare a SOLE collucet.* (id. Verr. 2. 4. 30). *Flebat pater DE filii MORTE.* (id. Inv. 2. 4). *EX LASSITUDE dormire.* (id. Mil. 38). *Neque enim PRAE LACRIMIS jam loqui possum.* (id. de Or. 1. 55). *Quem omnes amare PRO ejus eximia SUAVITATE debemus.* Etiam dicimus *ex foedere* (según el pacto), *de more* (según la costumbre), *ea de causa, justis de causis.*

N. B. 4.º *Modus* actionis praepositionem *cum* interdum desiderat, maxime quando exprimitur sine apposito, vel significat adjuncta quae actionem comitantur vel sequuntur. (Cic. Or. 3. 2). *CUM FEBRI domum rediit.* (id. ib. 2. 174). *Quum enim videret orato-*

(1) Haec duo postrema solent conjungere recentiores, et vocant ablativum *limitationis*.

res CUM SEVERITATE *audiri*, *poetas autem CUM VOLUPTATE*, *tum dicitur numerus sequutus.* (id. Cat. 1. 43). CUM SUMMA *reipublicae SALUTE*, et CUM TUA PESTE ac PERNICIE, CUMQUE eorum EXITIO *proficiscere.*

N. B. 5.º Praepositionem cum respuunt 1.º substantiva quae per se modum significant, ut *modo, more, ritu, habitu, ordine, jure.* 2.º loquutiones quae significant animi sensa, mentem, condicionem, partem corporis, ut *aequo animo, eo consilio, hac mente, nudo capite*, etc.

ARTICULUS II. MENSURA, MATERIA [260, 338]

295. Nomen *mensuram* significans accusativo effertur, nonnumquam etiam ablativo, maxime ubi distantia significatur. (Cic. Att. 13. 20). *A recta conscientia TRANSVERSUM UNGUEM non oportet discedere.* (Conviene no desviarse un negro de uña de la recta conciencia). (id. Att. 13. 12). *Negat se a te PEDEM discessisse.* (Colum. 5. 3). *Esto ager longus PEDES MILLE DUCENTOS, latus PEDES CENTUM VIGINTI.* (Caes. B. G. 1. 48). *MILLIBUS PASSUUM SEX a Caesaris castris sub monte consedit.* (Cf. n. 475. 5.º).

N. B. Post comparativa adhibetur ablativus (n. 285. N. B. 2.º); cum *natus* vero accusativus (n. 273. N. B. 2.º).

296. *Materia* ex qua aliquid fit exprimitur ablativo cum praepositione *ex* vel *e*, qui mutari potest in adjectivum. (Cic. Verr. 2. 4. 27). *Pocula EX AURO.* (id. ib. 28). *Candelabrum E GEMMIS clarissimis.* (id. ib. 27). *Exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vasa ARGENTEA.* (n. 248. N. B. β).

ARTICULUS III. PRAETIUM [342, 343]

297. Substantivum significans *praetium* ablativo effertur. (Cic. Verr. 2. 3. 81). *Tritici modios singulos DENARIIS ternis aestimavit.* (Liv. 23. 30). *MULTO SANGUINE ac VULNERIBUS ea Poenis victoria stetit.* (Costóles á los Cartagineses aquella victoria mucha sangre y muchas heridas).

298. Praetium indefinitum exprimitur his ablativis: *magno, permagno, plurimo, parvo, paulo, paululo, minimo*, et genitivis *tanti, quanti, tantidem* (al mismo precio que...), *quanticumque* (á cualquier precio), *pluris, majoris, minoris*, qui omnes casus fere sine substantivis ponuntur. (Cic. Verr. 2. 3. 59). *PERMAGNO decumas ejus agri vendidi.* (Vendí á muy grande

precio los diezmos de aquel campo). (id. Phil. 6. 4). *Hic PLURIS habetur quam L. Trebellius.* (Este es más apreciado que Lucio Trebelio).

299. Verba aestimandi *aestimo, duco, facio, habeo, pendo, puto, sum*, praeter illos genitivos *tanti, quanti*, etc. hos etiam habent: *magni, parvi, plurimi, maximi, minimi.* (Cic. Planc. 4). *Honores si MAGNI non pulemus.* (id. Parad. 6. 2). *Quod PLURIMI sit, possideat.*

N. B. 1.º *Assis* (de un as), *flocci* (de un fleco), *nauci* (de una cáscara de nuez), *nihili* (de nada), *pili* (de un pelo), *teruntii* (de un cuadrante (1)) verbis aestimandi conjuncta, familiares efficiunt loquutiones, quae hispanis item familiaribus respondent: *no dársele un bledo, comino, pito, nada*, etc. (Cic. Fin. 2. 27). *Eum NIHILI facit.* (id. Fam. 4. 5). *Rempubicam FLOCCI non faciunt.*

N. B. 2.º Dicimus etiam: *Rumores unius aestimo assis; pro nihilo habeo (puto, duco, pendo) divitias omnes prae virtute; non nihilo bonam valetudinem aestimo.*

N. B. 3.º Verbum *valeo*, quum ad praetium refertur, ablativum vel accusativum amat. (Plin. 33. 13 5). *Ita ut scrupulum valeret SESTERTIIS VICENIS.*

N. B. 4.º Dicitur *boni, aequi boni, aequi bonique facio, consulo*, (apruebo, tomo á buena parte). (Cic. Att. 7. 7). *Tranquillissimus animus meus, qui totum istuc AEQUI BONI FACIT.*

ARTICULUS IV. TEMPUS [337]

§ I. Quando? (¿CUÁNDO?)

300. Substantivum significans *tempus* ablativo effertur, si per *quando* fiat interrogatio. (Cic. Har. resp. 8). *Negotium magistratibus est datum ANNO SUPERIORE.* (id. Mil. 10). *Fit obviam Clodio HORA fere UNDECIMA.* (id. Att. 8. 3). *HIEME MAXIMA navigandum est.*

N. B. Si ad tempus indicandum adhibetur nomen alicujus eventus, jungitur saepe ablativo praepositio *in*, quum substantivum appositum nullum habet. Sic *in pace, in bello, in consulatu, in principio, in pueritia, hoc in tempore.* Dices tamen: *altero consulatu, bello punico, Caesaris adventu*, etc.

301. Quaestiones secundariae.

¿CUÁNTO TIEMPO HACE QUE SUCEDIÓ?—Respondebis accusativo vel ablativo praecedente *abhinc*. (Cic. Verr. 2. 2. 9). *Horum pater ABHINC DUOS ET VIGINTI ANNOS est mortuus.* (id. Q. Rosc. 13). *Quo tempore? ABHINC ANNIS QUATUOR.*

N. B. Usurpatur etiam *ante* cum demonstrativo. (Phaed. 1. 4. 40). *ANTE HOS SEX MENSES maledixisti mihi.*

¿CUÁNTO TIEMPO DESPUÉS SUCEDERÁ?—Respondebis accusativo cum *post* vel *intra*, raro ablativo. (Plin. 19. 38). *Plantae POST BINOS MENSES deferuntur.* (Cic. Att. 9. 14). *BIDUO sciemus.*

(1) Quaedam romanorum moneta.

¿CUÁNTO TIEMPO ANTES Ó DESPUÉS DE ESTO SUCEDIÓ? — *Tempus ponitur in ablativo, factum vero in accusativo cum ante (vel post).* (Cic. Brut. 15). *Mortuus est ANNIS SEX ET OCTOGINTA ANTE ME CONSULEM.* (id. Verr. 2. 2. 52). *Revertitur DIEBUS QUINDECIM ANTE COMITIA.* (id. Att. 6. 1). *Haec scribebam POST LEUCTRICAM PUGNAM DIE SEPTUAGESIMO QUINTO.* (id. Amic. 1). *PAUCIS DIEBUS POST MORTEM Africani (1).*

N. B. 1.º Si factum exprimitur ope verbi (*antes (ó después) que....*), haec duplex potest usurpari constructio:

- |                 |                             |   |
|-----------------|-----------------------------|---|
| 1. <sup>a</sup> | { Ante (post) tres annos    | vel tres ante (post) annos decessit quam....    |
|                 | { Ante (post) tertium annum | vel tertium ante (post) annum decessit quam.... |
| 2. <sup>a</sup> | { Tribus annis ante (post)  | vel tribus ante (post) annis decessit quam....  |
|                 | { Tertio anno ante (post)   | vel tertio ante (post) anno decessit quam....   |

N. B. 2.º Reperies etiam *quum, ex quo, quo, quibus pro postquam.* (Cic. Or. 54). *Et apud Graecos quidem jam anni prope quadringenti sunt, QUUM hoc probatur.* (Liv. 4. 40). *Duodequadragesimo anno EX QUO regnare coeperat.* (Cic. Fam. 10. 48). *Diebus octo QUIBUS has litteras dabam.*

§ II. *Quamdiu?* (¿POR CUÁNTO TIEMPO?)

302. Si per *quamdiu* fiat interrogatio, accusativo utemur, nonnumquam ablativo. (Cic. Tusc. 5. 38). *Caecus MULTOS ANNOS fuit.* (Liv. 1. 24). *Romulus SEPTEM ET TRIGINTA regnavit ANNOS.* (Cic. Tusc. 2. 17). *Aniculae saepe inediaM BIDUUM aut TRIDUUM ferunt.* (id. Off. 3. 2). *TRIGINTA ANNIS vixit.*

N. B. Nonnumquam jungitur praepositio *per.* (Cic. Cat. 3. 8). *Ludi DECEM PER DIES facti sunt.*

303. *Quaestiones secundariae.*

¿DESDE QUÉ TIEMPO? — Respondetur ablativo cum praepositione *a* vel *ab* vel *ex*, vel accusativo ordinalis.

¿HASTA QUÉ TIEMPO? — Respondetur accusativo cum *ad* vel *in.* (Cic. Phil. 2. 104). *AB HORA TERTIA bibebatur.* (id. Sen. 19). *Cujus A MORTE tertius est annus.* (id. Att. 7. 8). *AB HORA OCTAVA AD VESPERM secreto colloquuti sumus.* (id. Att. 1. 18). *Publicanos TERTIUM jam MENSEM vexat.* (id. Som. Scip. 1). *Sermonem IN MULTAM NOCTEM produximus.*

¿EN CUÁNTO TIEMPO SE HIZO? — Respondetur ablativo. (Cic. N. D. 2. 20). *Saturni stella TRIGINTA fere ANNIS cursum suum conficit.*

(1) Hinc explicabis loquutiones *pridie, tertio, quarto.... Calendas martias*, i. e. *ante Calendas martias*. Unde per *quamdam* inversionem dicitur saepe *ante diem octavum Calendas martias*, quod solet scribi *a. d. VIII. Cal. Mart.* Nonnumquam etiam assumitur tota haec loquutio quasi unum verbum, ipsique adjunguntur praepositiones *in* et *ex*, ut *in ante diem octavum Calendas martias decernuntur comitia.* (Cic. Att. 3. 47). *De Q. fratre nostri nobis tristes venerant ex ante diem Nonas junias.*

ARTICULUS V. LOCUS [329-336]

§ I. *Ubi?* (¿EN DONDE?)

304. Nomina propria minorum locorum (i. e. pagorum, caestellorum, urbium), primae et secundae declinationis et singularis numeri, ponuntur in genitivo, si quaestio fiat per *ubi.* (Cic. Att. 4. 12). *Egnatius ROMAE est.* (id. N. D. 3. 16). *Hercules TYRI maxime colitur.*

Si propria fuerint tertiae declinationis vel pluralis numeri primae et secundae ablativo utendum est. (Cic. Fin. 1. 23). *BABYLONE paucis post diebus Alexander est mortuus.* (id. de Or. 1. 13). *Tum ATHENIS disserebam.*

305. Nomina majorum locorum (i. e. insularum, regionum, provinciarum) caeterorum denique locorum, ablativum cum praepositione *in* fere desiderant. (Cic. Fam. 6. 8). *IN SICILIA censeo commorandum.* (id. Fam. 9. 18). *Mori melius fuit IN LECTULO: IN ACIE non fui.*

N. B. 1.º Dicimus tamen *ruri*, nonnumquam *rurs* (en el campo), *domi* (en casa), *humi* (en tierra); *belli* vel *militiae* in loquutionibus *belli et domi, domi militiaeque* (en paz y en guerra). (Cic. Brut. 5). *Eram otiosus DOMI.* (Sall. Cat. 9). *DOMI MILITIAEQUE boni mores colebantur (1).*

N. B. 2.º Appellativo *domi* adjungi possunt haec tantum appositae: *meae, tuae, suae, nostrae, vestrae, alienae, hujus, ejus, cujus*; aliqui etiam genitivi, ut *Caesaris* etc. (Cic. Fam. 4. 7). *Nonne maxis sine periculo DOMI Tuae esse, quam cum periculo ALIENAE?* (id. Att. 4. 12). *DOMI C. CAESARIS.*

N. B. 3.º Omittitur fere praepositio cum substantivo *locus, pars*, ut *non incommodiore loco* (Cic. Fam. 7. 3); et cum aliis quibuscumque, quando junguntur adjectivo *totus*, ut *toto orbe terrarum* (id. Att. 4. 4), *tota provincia* (id. Verr. 2. 49); item in quibusdam loquutionibus, ut *dextra laevaue* (Ov. Met. 4. 474), *coelo, mari, terra* (Cic. Fin. 5. 4).

N. B. 4.º Cum nomine personae utimur *apud*, cum nomine vero rei, ubi propinquitatem significamus, quum *apud* tum *ad.* (Cic. Cat. 4. 4). *Fuisti APUD LECCAM illa nocte.* (Estuiviste en casa de Lecca aquella noche). (id. Leg. 2. 26). *De sepulcris nihil est APUD SOLO-NEM amplius.* (Nada más dice Solón de los sepulcros). (Sall. Jug. 58). *APUD ZAMAM certatur.* (Se pelea junto á Zama). (Cic. Fam. 15. 2). *Castraue AD CABYSTRAM, quod oppidum est AD MONTEM TAURUM.*

(1) Voces has *ruri, belli, humi, domi, militiae*, itemque eos, quos vocamus genitivos primae ac secundae declinationis, existimant recentiores grammatici, fuisse olim specialem quemdam casum, quem vocant *locativum*. Quorum sententiae favent, quae leguntur apud Cic. *Tiburí, Anaxuri pro Tibure, Anaxure*; atque apud Plaut. *Carthagini, Sicyoni pro Carthagine, Sicyone.*

§ II. Quo? (¿Á DONDE?)

306. Si per adverbium quo fiat interrogatio, accusativo sine praepositione efferuntur nomina minorum locorum et appellativa rus et domus; propria vero majorum locorum et alia appellativa praepositionem ad vel in fere desiderant. (Cic. Att. 16. 11). Epistolas CATINAM, TAUROMENIUM, SYRACUSAS commodius mittere potero. (Ter. Heaut. 1. 1. 16). DOMUM revertor. (Cic. Tusc. 4. 4). IN INFERIOREM DEAMBULATIONEM descendimus. (id. Fam. 16. 12). Si AD URBEM ire coepisset.

N. B. 1.º Nomina personarum et pronomina optant praepositionem ad. (Ter. Eun. 3. 6. 612). Eamus AD ME. (Vayamos á mi casa). (Cic. Div. 1. 27). Alterum AD CAUPONEM devertisse, AD HOSPITEM alterum. (Que el uno se fué al mesón, el otro á casa de un huésped suyo).

N. B. 2.º Utimur praepositione ad, quum ad locum quis accedit, in vero quum in ipsum ingreditur. (Cf. n. 305. N. B. 4.º).

§ III. Unde? (¿DE DONDE?)

307. Si per unde fiat interrogatio, minora loca, itemque rus et domus, ponuntur in ablativo sine praepositione: majora autem loca et appellativa praepositionem fere requirunt. (Cic. Lig. 3). Ad me EX AEGYPTO litteras misit. (id. Att. 16. 6). Hac super re scribam ad te REGIO. (Ter. Eun. 5. 5. 966). Video RURE redeuntem senem. (Cic. Fam. 9. 5). Se DOMO non commoverunt.

N. B. 1.º Nomina urbium praepositionem admittunt, maxime quum discessus significatur. (Liv. 21. 49). Legati Romani AB CARTHAGINE in Hispaniam profecti sunt.

N. B. 2.º Omittitur etiam praepositio cum pluribus verbis quae motum significant: movere loco, senatu, tribu, urbe, magistratu (apartar de...); pellere, expellere patria, civitate, domo, possessionibus; dejicere, honore, principatu, spe, gradu (arrojar de...); arcere tecto; cedere loco, urbe, vita (irse de...); abscedere incepto (desistir de...); decedere provincia (partir de...) etc.

N. B. 3.º Praepositio ab recessum significat ab aliquo loco, ex vero exitum.

§ IV. Qua? (¿POR DONDE?)

308. Si per adverbium qua fiat interrogatio, propria loci minoris ponuntur in ablativo sine praepositione, aliquando etiam in accusativo cum praepositione per; quam quidem fere deside-

rant majora loca et appellativa. (Cic. Att. 5. 15). Iter LAODICEA faciebam. (Curt. 3. 3). PER BABYLONEM vectus. (Cic. Fam. 14. 4). PER MACEDONIAM Cycicum petebam.

N. B. Nomina viarum saepe etiam ponuntur in ablativo sine praepositione. (Cic. Cat. 2. 4). AURELIA VIA profectus est. (Liv. 4. 4). Ne EODEM ITINERE eat. (id. 33. 26). ESQUILINA PORTA ingressus.

APPENDIX DE LOCO [329]

309. In quaestionibus ubi, quo, unde, propria loci minoris, quae cum alio substantivo (urbs, oppidum, etc.) continuantur, duplicem admittunt collocationem. Nam

1.º Si praepositum appellativum, continuantur in eodem casu cum praepositione. (Liv. 4. 33). Qui supersunt, AD URBEM FIDENAS tendunt. (Sall. Jug. 102). Marius pervenit IN OPPIDUM CIRTAM. (Caes. B. G. 7. 4). Vercingetorix expellitur EX OPPIDO GERGOVIA. (Nep. Cim. 3. 4). IN OPPIDO CITIO est mortuus.

2.º Si sequitur appellativum, utrumque juxta generales regulas constructur. (Cic. Phil. 4. 2). ALBAE constiterunt, IN URBE opportuna, munita, propinqua. (id. Rab. Post. 10). Senatores natos NEAPOLI, IN CELEBRRIMO OPPIDO. (Sall. Jug. 75). Jugurtha THALAM pervenit, IN OPPIDUM magnum et opulentum.

N. B. 1.º Propria insularum parvarum (Rhodus, Delos, Salamis, Samos...) fere sequuntur propria loci minoris. (Cic. Q. Fr. 3. 7). RHODI vivere. (Nep. Milt. 1). Quum accessisset LEMNUM.

N. B. 2.º Eandem constructionem imitantur aliquando graeca nomina loci majoris. (Nep. Chab. 3. 3). Conon plurimum CYPRI vixit. (id. Milt. 2. 3). Domum CHERSONESI habere.

N. B. 3.º Propria loci minoris saepe praepositionem accipiunt, quam contra interdum omittunt loca majora. (Cic. Sen. 4). Adolescentulus miles AD CAPUAM profectus sum. (Virg. Aen. 3. 254). Ibitis Italiam.

N. B. 4.º Domus nonnumquam etiam praepositiones admittit. (Liv. 24. 8). AB DOMO venerunt. (Cic. Tusc. 5. 4). IN DOMOS etiam introduxit. (Cic. Att. 2. 7). IN DOMO Caesaris.

N. B. 5.º Verba quae significant statuere in loco, ut pono, constituo, includo, loco, etc., fere sequuntur quaestionem ubi et postulant ablativum cum in. (Cic. Att. 2. 4). Consule IN CARCERE incluso. (Caes. B. C. 1. 65). IN PROXIMO COLLE castra posuit.

N. B. 6.º Quum petendi verbum pro adire seu proficisci adhibetur, non est locus praepositioni. (Liv. 21. 22). Dum ipse terrestri per Hispaniam Galliasque itinere ITALIAM peteret.

N. B. 7.º Poetae, ubi quaestio fit per quo, dativum saepe adhibent pro accusativo. (Virg. Aen. 2. 398). Demittere Orco. (5. 451). Ire coelo etc.